

5. Interea cum Phocas erga hostes impune Imperium lacerantes segris, erga subditos autem crudelis & truculentus, Principum cadibus simul & infamibus libidinibus indulgeret, Heraclius Africa Praefectus instructa classe inde solvens, Constantinopolim occupat, & Phocæ supplicio Mauricio Augusto parentat, debitasque perfecit inferias, anno a Christo sexcentesimo decimo. Nec minus Cosros profere coeptum adversus Phocam bellum felici successu prosequitur adversus Heraclium, Palaestinam, Aegyptum, Libyam populatur: captisque anno 614. Ierusalymis, venerandam inde Crucem cum incredibili captivorum multitudine in Persidem asportat. Persæ, duce Sae torrentis erumpentis instar, ulterius excurrentes Cappadociam, Phrigiam, Bithyniam, reliquasque Asiae Provincias ferro & flammis vastant: ipsamque Chaledonem, quæ brevi freato ab Constantinopoli dirimitur, obsidione cingunt, Chagano interea Avarum Rege Thraciam hostilibus armis infestante. Tantis periculis calamitatibus Heraclius pacem supplex a Cosro petiit: at ille nullam fore pacis conditionem superbe respondit, nisi, Crucifixi abnegato Deo, Heraclius una cum suis Solem adoraret. Heraclius suam omnem fiduciam in Deo reponens, ejusque supplicibus precibus invocato presidio, pacem utcumque cum Avaribus firmat, astititque in auxilium Turcis, Caucasi ad portas Caspias accolis, quicquid copiarum colligere potuit, in Asiam transportavit, anno 621. Cum Cosrois ducibus sæpius acie dimicavit successu adeo felici, ut pristinis omnibus receptis Provinciis in Persidem intraret. Cosros in summa rerum desperatione Medarsen junionem natu filium regno destinat. Id vero molestius ferens major Siroes, cum Persarum primoribus in patrem conspirat, multisque affectum ludibriis post jugulatos reliquos in ejus conspectu filios, sagittis confici jussit. Tum demum pax Heraclium inter & Siroem inita est, captivi libertati restituti, Crux salutifera Heraclio perhonorifice reddita, reparata salutis anno 628. Eamque insequenti vere Heraclius suis humeris Ierusalymam transportavit.

6. Heraclio regnante, Mahometus exitalem ex Judaismo, Atianismo, & Ethnicismo sectam confavit, Sergio Monacho ad scribenda impia dogmata usus, cum esset ipse plane illitteratus. Cumque demone morboque comitiali correptus frequens corrueret, uxori ceterisque persuasit, se Angeli Michaelis conspectu & colloquio sic consternari. Cumque sectam istam enixe propagare conaretur, insurgente ob id persecutione, fugam arripuit anno Christi 632. Julii mensis die 16. is est annus primus Hegiræ, hoc est persecutionis, quæ Arabum ceterarumque Mahometicarum gentium certam epocham constituit. Veterat iste ex infima sorte primum servus, & camelis pascendis addictus, prorsusque literarum inscius, locupletis heræ suæ effectus conjux, deinde Pseudo-Prophetes, postremo Princeps atque Legislator, ipso etiam Heraclio Imperante, Palaestinam, Syriam & Aegyptum cum suis Saracenis occupavit.

7. Persico bello perfunctus Heraclius, Numinis iram in se provocavit, dum Monothelitarum hæresis patrocinium pertinacius assuit. Cum enim anno 630. Hierapoli versaretur, accedentem ad salutandum Athanasium, Jacobitarum Patriarcham, hæreticum Eutychem benigne excipiens, in spem erexit potiundi Patriarchatus Antiocheni, si Chalcedonensem Synodum complecti vellet. Ea compellatione allectus Athanasius, qui jam per ambitionem sibi Patriarchæ nomen apud hæreticos Jacobitas indebite asseruerat, & Chalcedonensem Synodum se suscipere, duasque in Christo naturas simul dixit, rogavit autem Heraclium, an duplex admittenda esset in Christo voluntas & operatio, an una duntaxat? Ille seiscitatur a Cyro Alexandrino & Sergio Constantinopolitano Episcopis, quid sit in hac questione sentiendum? Quibus respondentibus unicam esse in Christo voluntatem & operationem, hisque assentiente Pseudopatriarcha Athanasio, in eundem assensum pertractus simul est Heraclius: tamque obfirmato animo hujus hæresis fautor evasit, ut anno 639. publico edicto, quam Ecthesim vocant, tamquam certum fidei Christianæ articulum omnibus amplectendum & prædicandum proposuerit: quæ fuit deinceps multarum in Ecclesia perturbationum origo. Moritur demum infelix Heraclius trigésimo primo Imperii sui anno, qui fuit Christi 641. ex aqua intercuti alioque morbo fedissimo, quo nuptus incestas cum Martina Maris fororis suæ ex Martino filia, ut refert in sua brevi historia Constantinopolis Patriarcha Nicephorus, luit. Mirror Petavium, post editum a se Nicephori Breviarium, quo Martina fororis Heraclii filia proditur, hujus immemorem scripsisse deinde in Rationario, fuisse ipsam fratris Heraclii filiam; at Baronius, qui nunquam illud Breviarium legerat, utpote suo tempore nondum a Peta-

vio editum, set in obscura Bibliotheca abditum, eandem se fuit nepem Heraclii, nihil de fratre aut sorore adjiciens, utpote re adhuc incomperata. Vox autem, quæ utitur in hac historia Zonaras, *Ἡρακλίου θυγατέρα* *Ἡρακλίου* *Ἡρακλίου*, indifferens est ad fratris aut fororis filiam, eodem namque regimine ac derivatione a feminino, *ἡτέρα*, quod *matricem* significat, componitur vox *ἡτεροπόλις*: neque dicitur *metropolis*.

8. Testamento suo Heraclius liberos duos Constantinum ex Eudoxia priore uxore, & Heraclium ex Martina posterius susceptum, æquo jure Imperii hæredes instituit, mandans utique, ut Martinam tamquam matrem & Imperatricem coleret: verum Constantinus quarto mense a novæ Martina perimitur. Heraclius junior, qui ab aliis Heraclionas dicitur, cum Martina matre sex mensibus exactis Imperio dejicitur Senatus decreto; quo etiam mari lingua prædicatur, & Heraclioni nates. Hisque relegatis, Constantinus filii nepos, Imperio solus præficatur. Hic religionis cultu a patre orthodoxo degener, avum maluit imitari, Heraclii enim Ecthesim promulgato suo typo, cui omnes subscribere voluit, confirmavit. Martinus Pontifex Romanus, transmissum ad se a Constante typum, ut eum sua ceterorumque Antistitum subscriptione firmaret, convocato Romæ Concilio, Monothelitarum hæresim damnavit. Ideoque exandescens furor impius Constantis, sanctissimum Pontificem per Exarchum Calliopam Roma Constantinopolim abripuit, atque inde Cherfonam relegavit. Quo in exilio confectus atroxem mortalem vitam immortalitate commutavit, anno 655. Maximum quoque, eximium fidei Catholice propugnatorum, lingua manique abscissis exilio relegavit. His offensus sceleribus Deus ultores Saracenos suscitavit, a quibus insignes Insulae Cyprus & Rhodus occupate sunt; effectusque æneus ille Solis Colossus, quem Chares Lydius constraverat, a Mauvia Saracenorum Principe, utriusque Insule invasore, Aegypti mercatoribus divenditus est. Navali etiam prælio Constantis contra Saracenos infelicissime certavit, anno 654. Persæ tandem Constantinopolis, in Italiam numerofum ducens exercitum trajecit: commissaque cum Longobardis certamine vidus, & furore barbarico incensus, Romam publicis privatorumque opibus & omnibus, quæ auferre potuit, ornamentis expilavit, transmissisque in Siciliam: ubi cum sex annis omnibus in usus hæisset, Syraculis in balneo a suis anno Christi 668. est interfectus.

9. Constantinus audita patris Constantis morte, atque ab interfectis novum electum Imperatorem Mezentium Armenum, illico Constantinopoli solvens in Siciliam contendit, tyrannumque Mezentium una cum iis, qui adversus patrem conjuraverant, e medio tollit. Rebusque ibi compositis, Constantinopolim regreditur, nomenque Pogonati seu Barbati adipiscitur, quia cum inde imberbis exisset, eodem reversus est barbatus. Princeps fuit patri dissimilis, fidei Catholice addictus, & justitiæ studiosus. Saracenos Constantinopolim obsidentes fortiter repulit, quos post magnam suorum jacturam remeantes tam atrox tempestate inavit, ut tota eorum classis disperierit. Aliunde Mardaitæ Libani montis incolæ infidelem gentem domestico bello distinebant. His cladibus attriti Saraceni pacem a Romanis sub annui tributi præstatione impetrant. Eo bello Callinicius Mathematicus, invento a se Græcico igne, cujus ea vis est, ut in ipsis undis ardeat, plebsque Saracenorum naves exurit. Saraceno perfectus bello Constantinus disparem in Bulgarico bello successum habuit. Bulgari amnis Volga accola ripis, quas incoluerant, excedentes, tunc primum in Thraciam excurrerunt: Slavique subactis, Istrumque trajicientes, in ejus citimis ripis suas fixere sedes; a quibus pacem Constantinus, & locorum concessione, & annui tributi penstatione, redimere coactus est, anno Christi 677.

10. Sedatis bellis Imperator operam navavit in promovenda sexta oecumenica Synodo, adnitente in primis Agathone Romano Pontifice: cujus Legati in ea præfederant. Habita vero est Constantinopoli in Secretario Palatii Regii, quod Trullum vocabant, anno inchoata 680. desinit sequenti. Hujus decretis damnati sunt Constantis typus & Heraclii Ecthesis: definitumque, duas in Christo voluntates & actiones, divinam & humanam, totidem esse, quot sunt in eo nature distinctæ & inconfusæ: dictumque anathema in Sergium, Pyrrhum, Cyrum, Paulum, & alios, qui fecus docuerant, aut docturi essent. Obiit Constantinus anno Domini 685, eodemque filius ejus successit Justinianus secundus, cui postea Rhinotmeti nomen inditum a naribus præcisit. Hic præcipitis ferocisque animi levitate Imperium labefactavit. Mardaitæ Libani incolæ, unicam

unicam Saracenorum terrorem & robur Imperii, de suis sedibus detractos, alio transfudit. Pacem cum Saracenis inam stolido consilio abruptit, Slavotum fretus auxiliis, quibus mox destitutus partam victoriam turpi fuga corripit. In suos vero crudelis & rapax, omnium in se odia concivit. His fretus populorum odiis Leontius Patricius apprehensum Justinianum, naribus præcisit deformatum, anno 695. in Cherfonam relegavit. Sed alius insurgens tyrannus Absimarum Leontium deturbavit, parique ac ille Justinianum supplicio affect: ipse vero Justinianus Bulgarorum armis adjutus, recepit Imperium, deque Leontio & Absimaro sumptio supplicio, adeo priora vitia non emendavit, ut crudelior calamitate factus, novaque prosperitate redditus insolentior, novis cumularet sceleribus.

11. Tyranno Imperante Leontio, dum Justinianus apud Cherfonam exulat, Saraceni ulterius in Africam provechi Carthaginem expugnant anno 689. ad quam recuperandam Leontius ingentem classem misit, sed exercitus accepta clade rediens, & Leontii veritus offensioem, Absimarum ad Imperium provexit. Saraceni vero, nemine prohibente, dominationem suam in Africa usque in Oceanum proferunt, & universa Mauritania potiuntur.

12. Versus hujus sæculi finem, sedente Romæ Sergio Pontifice, Pipino Hereftallo Principe Francie Praefecto, enixo studio ad Borealiem Provinciarum conversionem a Paganismo ad Christi religionem incumbente, magno incremento aucta est Ecclesia, per duos præsertim Apostolicos viros Sunibertum & Villebrodum, quorum hic Romam adiit, & a Sergio Papa prædicandis gentibus missionem & Episcopalem consecrationem accepit. Sunibertus autem in Anglia fuit a Wilfrido Merciorum Antistite ordinatus Episcopus. Horum prædicatione atque stupendis miraculis Frisones, Hollandi, Westphali, Dani, alique finitimi populi, abjecto idolorum cultu, Christi fidem susceperunt: quam historiam describit Marcellinus amborum comes & fidelis collaborator, in vita Suniberti, & Bedæ lib. 5. hist. Angl.

13. Sæculum istud perniciosissimum mundo intulit pestem Mahometicam impietatem. Cujus auctor Mahometes ex Arabia Felici ortus, cuidam vidua locupletis mercede servierat suscepta gregalium camelorum cura. Illam vero in amorem sui pellectam duxit uxorem; ejusque demortuæ adivit hereditatem. Cum autem comitiali morbo identidem correptus terra allideretur, comminiscatur id sibi ex mirifico Archangeli Gabrielis aspectu accidere, cujus fulgore & majestate adeo se percunctus affirmabat, ut præ stupore corrueret, dum illius internuncio Deus ipsi sua consilia revelabat. Cum autem omnis litteraturæ prorsus inscius esset, nefarium sibi Monachum nomine Sergium adiunxit, ob Nestorianam hæresim ab Ecclesia ejectum, qui Mahometem insignem & præcipuum Dei Prophetam & privatim & publice commendabat, illiusque imposturas tamquam profectas a Deo illustratas conscribat. His artibus a popularibus suis habitus est Princeps, belli dux, & legislator: suamque sectam longe lateque propagavit, partim seductoris verbis, partim vi & armis rudes populos ad sui obsequium compellens. Contigit tamen aliquando, ut errorum novitas complures ab eo alienaverit, ideoque fugam arripuit, anno scilicet Christi 622. Quam fugam Hegiram vocant Arabes, a qua suam epocham auspiciari solent. Ceterum cunctis ad illum flagitiosis & latronibus undequaque confluentibus, quos spoliolum opulenta, urbium depraedationes, scelerumque impunitas pelliciebant, usque adeo nova & bellatrix religio invaluit, ut vivens Mahometes universam Arabiam, Aegyptum, Palaestinam, Phœniciam, omnemque adeo Syriam armis subjugavit. Scribunt Theophanes & Zonaras, quo tempore Heraclius a bello Persico victor regrediebatur, accessisse ad ipsum cum suis Saracenis Mahometem ex Athribo Arabia Felicis regione; ab eoque petitas ad habitandum regiones obtinuisse.

14. Anno 692. existente Romano Pontifice Sergio, imperante Justiniano secundo, coactum fuit Constantinopoli in Trullo Conciliabulum, dictum Quinisextum, a Sergio Papa, ut testis est Bedæ, rejectum, ac reprobatum tamquam schismaticum.

15. Septimo ineunte sæculo, Hesyclus Ierusalymitanus Episcopus scripsit in Levit. libros septem, quibus præclare mysteria referat sub caremoniariu Mosaicarum cortice latentia. Joannes Mofcus scripsit ad Sophronium Ierusalymitanum Episcopum utilem admodum librum, Pratum spirituale, qui laudatur in septima Synodo. Leontius Joannis cognominati Eleemosynarii, Alexandrini Episcopi, vitam admirabilem scripsit, ut etiam Jonas sive Angelus, sive Hibernus Sancti Columbanii vitam: qui omnes hoc sæculo floruerunt. Idorus Cabassius, Notitia Ecclesiastica.

Hispalensis Episcopus hoc eodem sæculo multa luculenter scripsit. Sæculum istud illustravit sanctitate pariter & doctrina Maximus Monachus & Martyr sub Constantis Imperatoris hæretici Monothelita persecutione. Extat ejus disputatio contra Pyrrhum Monothelitam, Liber etiam de Ecclesiastica Mytlogia, & scholia in libros Dionysii Areopagite. Ildefonsus Toletanus Episcopus insignes edidit in laudem Dei genitricis Mariæ tractatus, atque ob susceptum ejus adversus hæreticos patrocinium, Alba sacerdotali veste cælitus allata ab ea donatus est. Obiit anno Domini 667. Julianus Episcopus Toletanus tres libros edidit adversus Judæos, totidem alios de futuro sæculo, quos Prognosticon vocavit.

CONCILIIUM PARIENSE V.

Ann. Chr. 615.

1. **N**ova hæc Synodus (ait Sirmondus) a Clotario II. Rege tum indicta, cum post Theodeberti & Theodoricæ mortem, illorum quoque regno successisset, universumque sicut Clotarius alter ipse avus Francorum ex asse Imperium adeptus esset. Quo factum, ut maximo ad eam numero Episcopi convenirent: Septuaginta novem adfuisse proditum est in veteri quadam collectione, quot in nullo antea Francorum Concilio fuisse memorantur. Eadem propterea generalis Synodus appellatur in Concilio Rhemenfi can. 3.

Can. I. *Primo in loco, ut canonum instituta ab omnibus conserventur, & quod per priora temporum spatia præceptum est, vel deinceps perpetuè observetur; hoc est, ut decedente Episcopo, in loco ipsius, ille in Christo proprio debeat ordinari, quem Metropolitanus, a quo ordinandus est, cum Provincialibus suis Clerus vel populus Civitatis, absque ullo commodo vel datione pecunie elegerint. Quod si aliter aut potestate subrepat, aut quacunque negligentia, absque electione Metropolitanæ & Cleri consensu vel civium fuerit in Ecclesia intrusus, ordinatio ipsius secundum statuta Patrum irrita habeatur.*

Require superius canon. 4. Niceni Concilii cum annotatis ibidem: & Concilii Aurelianensis V. can. 12.

Can. II. *Ut nullus Episcopus se vivente alium in loco suo eligat: nec quascunque persona, illo superstiti, locum ipsius sub quocunque argumento vel ingenio adoptare presumat, nec a quoquam debeat ordinari, nisi certa conditiones extiterint, ut Ecclesiam suam & Clerum regere non possit. Vide superius quinti Aurelianensis Concilii can. 12.*

2. Can. III. *Ut si quis Clericus quolibet honore munitus, contempto Episcopo suo, ad Principem vel ad potentiores homines, vel ubi & ubi ambulaverit, vel sibi patronos elegerit, non recipiatur, præter ut veniam debeat promereri. Quod si fecerit, & qui ipsum post admonitionem Pontificis sui retinere presumpserit, noviter se utrumque priorum canonum sententia damnandos.*

Canon iste multas sanctiones complectitur, quas superius observavimus a multis Conciliis constitutas: ut sunt, ne a proprio Episcopo excommunicati, aliæ censura notati, ab aliis in communionem fidelium admittantur. Ne sine dimissiois proprii Episcopi ordinentur. Ne in aliis Diocesis sine proprii Antistitis litteris formatis admittantur. Ne liceat proprii Prælati jurisdictionem declinare, aut jurisdictionibus refragari citra legitimas formas, vel canonicas appellationes. Huc spectat Lex Deuteronomii capit. 17. *Qui superbiebit nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille, & auferes malum de Israel.* Et de Episcopis in persona Apostolorum ait Christus Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et Hebr. 13. *Obedite prepositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddiuri.*

Can. IV. *Ut nullus iudicum neque Presbyterum, neque Diaconum, vel Clericum ullum, aut juniores Ecclesie sine scientia Pontificis per se distringat, aut damnare presumat: quod si fecerit, ab Ecclesia, cui injuriam irrogare dignoscitur, tandem sit sequestratus, quamdiu reatum suum corrigat & emendet. Citatur c. 2. de foro compet.*

Can. VIII. *His etiam constitutionibus adnecti placuit, ut defuncto Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono, vel quoquam junioris Ordinis Clerico, non per præceptum,*